MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM

Österreich oder Süddeutschland, 2. Hälfte 12. Jh. Seite 20v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25879
Copyright: Admont, Benediktinerstift

uentione inmaculate uirginis semper MARIE. que est inter
deum et homines fons uerissimus. que est spes desperantium.
que est refugium afflictorum. que maledictionem humane na-
ture conpescuit. que est uera ianua in qua omnes peccatores
pulsant et aperitur et aperiet eis. que genuit dominum nostrum. petitio-
nes offert et accipit peccatorum nostrorum indulgentiam.
Recordare ergo nostri sancta dei genitrix. quia ad te uigila-
mus pura fide et confugimus. et non derelinquas pauperrimum
ouile. sed deprecare pro eo apud misericordiam domini. et intercede ut
conseruet sine incommodis. et sine calumnia. Inter enim spa-
mus omnis christiani. et ad te confugimus. ad te oculos nostros
die noctuque pandimus. Te enim et eum qui ex te carnem
suscepit dominum nostrum salutamus et glorificamus. Et quia iam
loquimur. aut quid dicam. aut qualem laudem et gloriam ei qui
ex te natus est offeram. Certe magnificata sunt opera
tua domine et non sufficit lingua ad gloriam mirabilium
tuorum. Vere magnificata sunt opera tua domine. Certe
congruum est hoc euangelium dicam. Afferte stolam primam
et induite illum. et date anulum in manu eius et cal-
ciamenta in pedes eius. et afferte illi uitulum sagina-
tum et occidite. et edentes epulemur. quia hic frater noster
mortuus fuerat et reuixit. perierat et inuentus est. Et postquam
surrexit. rogauit eum ut conbureret illam nefandis-
simam cartulam. quod et factum est. Et uidentes populi execra-
bile cyrographum. et negatoriam cautionem conbustam ig-
ni. ceperunt cum multitudine lacrimarum dulcissime
clamare KYRIELEYSON. Et annuens manu
episcopus ut tacerent. ait. Pax uobiscum. Et cepit ingressa
missarum facere. Et post expletionem sacrorum myste-
riorum. perceptaque sacra mysteria. statimque effulsit
facies uenerabilis uice domini. sicut sol. et uiden-
tes omnes subitaneam uiri transfigurationem. amplius
glorificabant deum. qui fecit mirabilia magna solus.
Et occurrens uenerabili templo dei genitricis. que
eum liberauit ab execrabili illo errore. modicum
gustans. dissolutus corpore infirmatus est in eo loco
in quo et sepultus est. quo et beatam uisionem uidit. declinans
se tamquam confixus in eo loco. Et post triduum osculans
fratres tradidit beatam animam in manu filii dei. et in-
maculate semper uirginis MARIE. Omnia sua ege-
nis distribuit. et optime disposuit. talique confes-
sione glorificans deum migrauit ad dominum. cui est gloria
nunc et semper et per omnia secula seculorum. Amen.

Incipit prologus

HEGESIPPI uiri scientissimi
atque peritio recitandi diu in
codicibus inuenitur memoria.
mire prudentie sagacitas
cunctis eruditis ostenditur et
ad amorem ecclesiasticorum dogma-
tum inflammatur. Tante enim industrie uir iure ecclesias-
tica uoce laudatur qui ecclesie gesta contexens. et mul-
ta adulatione legentium peruenientia hinc inde accutias
sermone simplici quinque uoluminum congesta materie co-
aggregauit. Credatur nimirum eorum intitulasse uitam. quorum
scribit acta et passionum constantiam. a dominica passione
usque ad suam etatem. Hic asserit se uenisse sub aniceto
romano qui decimus post Petrum apostolicus fuit. et perseuerasse
usque ad Eleutherium eiusdem urbis episcopum. qui aniceto quondam
diaconus fuerat. Refert autem idem in libris suis de con-
uersatione sua quam habuit a gentili phylosophia. Nam
et ego inquit ipse sectis platonicis institutus. audiens
infamari christianos. et uidens eos inpauidos ad susci-
piendam mortem atque omne supplicium tolerandum consi-
derabam quod inpossibile est et in malicia eos et in libidi-
ne conuersari. Apud antiochiam etiam ipso die. et alii uene-
rantur dei electi. et celestium numerum possessores scili-
cet Timotheus. Diogenis. Macharia. et Maxima.
Preterea eleusi corpore: uictoris. pelusi. rufini. aguntur
memorie. et predicantur celebri laude: Incipit Passio
S. Pauli episcopi.

Cum apud Urbem roma-
nam. a quodam sacrilego princi-
pe iudicibus suis in christianos
persecutionis data fuisset
auctoritas. et uniuersa corpora
sanctorum famelici canis rabies
deuoraret. inter plurimas
confessorum et martyrum turbas papam nostrum beatissi-
mum Paulum dudum deuotissimum militem christi excor-
te preterire illa tante uictorie pugna non passa est.
Accinctus clipeo religionis mucrone deuotionis.
lorica fidei et galea confessionis ornatus. christum qui est
caput nostrum. ante ipsius conuersationis euentum uali-
dissima clangoris sui tuba confessus est. Territa
gentilitatis inmanitas. ad fragilissima crude-
litatis sue se arma conuertit. ut fortissimum uirum
terrore et seuitia uinceret. Quem superare uirtu-
te non poterat. diu macerat fame: squalore cus-
todie: deinde uariis generibus tormentorum ad-
fligit. Cuius cum roboris fidem crescere uideret e pe-
na et tormentorum feritate fieri fortiorem inau-
ditum suppliciorum genus nequitia diaboli exquisitum
inuenit exercuit. ut in ea parte corporis dei fa-
mulum laceraret. ex qua erat solitus edere diui-
narum series litterarum. Itaque post omnium pene uexa-
tionem membrorum. acutis cannarum sudibus digitos eius
manusque dilacerans. ut ne grauioribus uictus dolo-
ribus gloriosior in uictoria sua confessor existe-
ret. et cum multa sint id temporis etiam in leuiori-
bus suppliciis martyres facti. hunc uirum nobis
ac parentibus nostris specialiter dominus reseruauit.
Cuius nutu ordinatus episcopus uenit ad gallias. ut
dura ad credendum corda cunctorum molliret.